

(DB 27, 72, 143; DS 166, 197, 293, 325), imo qui plus caeteris hominibus sentiret atque perciperet (DS 13924).

Sexto, ergo inepte immediata Dei cognitio dicitur scientia beata.

~~R. Inter ignorantes, transeat. Inter theologos~~

R. Ubi tollitur distinctio inter praedicationem et theologiam, conceditur; ubi distinctiones non abhorrentur, negatur. Immediata Dei cognitio (1) non est "status omnium bonorum aggregatione perfectus" (Boethius, De consol., III, 2; ML 63, 724), nam cognitio non est omnia bona, (2) neque est essentielle huius status, quod in ipsa totalitate bonorum manifeste ponitur, sed (3), ubi omnia bona habentur, ibi immediata Deo cognitio caeterorum ~~est~~ principium esse invenitur.

Septimo, qui immediate Deum cognoscit, a Deo non est derelictus. Sed Christus a Deo derelictus est (Mt 27, 46; Mc 15, 34). Ergo saltem Christus in cruce moriens immediate Deum non cognovit.

R. Satis fallax esse videtur praemissa maior, cum pari ratione diceretur: qui existit, a Deo non est derelictus; qui vivit, a Deo non est derelictus; qui scit se esse derelictum, non est a Deo derelictus; qui habet gratiam sanctificantem, a Deo non est derelictus; qui habet unionem hypostaticam, a Deo non est derelictus.

~~Quam ob causam, ne quis concludat quodcumque primum ei in mentem veniat, intelligi debet illa Christi derelictio secundum textum atque contextum. Ea ergo erat haec derelictio qualis describitur passio in evangeliiis, qualis describitur passio in Ps 21 cuius initium secundum versionem aramaicam fere erat: Heli, Heli, x lamma sabacthani, qualis exprimitur eodem fere momento apud Lc 23, 46: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum (cf. Ps 50, 6).~~